

SCRIPTA

Numéro Scripta : 5012

Auteur(s) : Innocent II [pape]

Bénéficiaire(s) : Mézidon-Canon, Sainte-Barbe-en-Auge (prieuré)

Genre d'acte : bulle

Authenticité : non suspect

Datation : 1131, 18 janvier

Lieu d'émission : Chartres

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Le pape Innocent [II] confirme les possessions du prieuré Saint-Martin et Saint-Barbe cédées par l'évêque Jean de Lisieux et le roi Henri [Ier] d'Angleterre et ordonne que l'ordre canonial soit perpétuellement conservé audit prieuré.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Ramackers Johannes, *Papsturkunden in Frankreich*, Neue Folge 2 Normandie, Göttingen, Vandenhoeck & Ruprecht (Abhandlungen der Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen. Philologisch-historische Klasse, 21), 1937, 2 vol., n° 8, p. 63-64.

Texte établi d'après a

INNOCENTIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI. DILECTIS FILIIS CANONICIS ÆCCLESIAE SANCTI MARTINI ET SANCTÆ BARBARÆ EORVMQVE SVCESSORIBVS REGVLARITER SVBSTITVENDIS IN PERPETVVM. Ad hoc uniuersalis æcclesiæ cura nobis a prouisore omnium bonorum Deo commissa est, ut et religiosas diligamus personas et beneplacentem Deo famulatum studeamus modis omnibus propagare. Quotiens enim illud a nobis petitur, quod rationi conuenire cognoscitur, animo nos decet libenti concedere et congruum impertiri suffragium. Eapropter, dilecti in domino filii, uestris rationabilibus postulationibus clementer annuimus. Statuentes, ut quæcumque bona, quæcumque possessiones a uenerabili fratre nostro Iohanne Luxouiensi episcopo seu a karissimo filio nostro HENRICO illustri Anglorum rege tam in Anglia quam in Normannia æcclesiæ uestræ iuste concessa sunt, quæcumque preterea concessione pontificum, largitione principum, oblatione fidelium seu aliis iustis modis prestante domino poteritis adipisci, firma uobis uestrisque successoribus et illibata permaneant. Precipimus etiam, ut ibi perpetuis temporibus ordo canonicus conseruetur. Nulli ergo omnino hominum fas sit prefatam æcclesiam uestram temere perturbare aut eius possessiones auferre uel ablatas retinere, minuere aut temerariis uexationibus fatigare, sed omnia integra conseruentur eorum, pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salua nimirum diocesani episcopi debita iustitia ac reuerentia. Si qua igitur in futurum æcclesiastica secularisue persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere uenire temptauerit, secundo tertio commonita, si non factum suum digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore et sanguine Dei ac domini redemptoris nostri Iesv Christi aliena fiat atque in extremo examine districtæ ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco iusta seruantibus sit pax domini nostri

Iesv Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipient et apud districtum iudicem premia æternæ pacis inueniant. AMEN. AMEN. AMEN.

R. Ego Innocentius catholicæ ecclesiæ episcopus ss. BV.

Dat. Carnoti per manum AIMERICI sanctæ Romanæ æcclesiæ diaconi cardinalis et cancellarii XV kal. feb.,
indictione VIII, incarnationis dominicæ anno M°.C°.XXX°, pontificatus autem domni INNocentii PAPE II anno
primo.